



Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad B. Aloysivm Gonzagam. Cuius aræ, in Romano S. Ignatij templi, voti
tabulam extremo morbo liberatus appendebas. Ode X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Quid, quod avulso noua gens ab orbe
Vndique accedit, metuens refelli ?
Ut Clarendonus proprio triumphet

Præses honore.

Iurè : nam vultu Clarij benigno

Is Dei fuit graciles Camœnas :

Iurè : festiuâ cecinere Phœbum

Voce Camœnæ.

Per manus linguæ cape verba tantas

Vindicis ; gazam tua Vaticanam

Lançe dum nostrâ celebrantis æquac

Bibliotheca.

Impudens certè facinus videri,

Vrbe sic tolli, medijsquè Rostris :

Ast ego nullo bonus axe ciuis

Facta silebo,

Quæ vehant cœlo patriam. Referre

Cum potes laudes, benè proditori

Affides mutus. Mihi terra tali

Antè dehiscat.

AD B. ALOYSIVM GONZAGAM.

Cuius aræ, in Romano S. Ignatij templo, voti tabu-
lam extremo morbo liberatus appendebat.

O D E X.

Non semper alto carbasa gurgite
Submergit Auster, vel ciet horridis

Deuexus Orion procellis

Monstra ; nec Eubœicum per æstum

Nauis doloso fracta Caphareo

Debet ruinam : cum trabe remiges

Coguntur arreptâ precari, &

Sicca vocat miser astra vector.

Est & vadosis haud leue Syrtibus

Discrimen, vrget magna ubi Tethyos

Hære-

66 IAC. ALB. GHIBBESII

Hærere paupertas carinam,
 Aut breuibus trepidare saxis.
 Tunc vda Tiphys ducere sidera,
 Ventosquè molles curat, & obsidem
 Delenit Arcturum salutis,
 Et pluuios veneratur Euros.
 Sic nempè Nereus, vel nimius freti,
 Parcusue lædit. Vastus amat modum
 In rebus orbis: creuit errorem.
 Inter vtrumque animosa virtus.
 AEger iacebam, nec solido die
 Necessitati fas liquidæ suum
 Laxare claustrum. Posco cœlum,
 Pœoniâ moriturus arte.
 Profesta sacris lux erat hæc tuis,
 O sancte Diuīm. Carmen adoræ
 Seruatus æternæ dicabo,
 Tu modò, tu miserere, dixi.
 Portenta: fessos luce nouâ dolor
 Artus reliquit: iam vigor, & quies,
 Notiquè successere vultus,
 Et placidi sine fraude somni.
 Ergò obligatum figimus asserem
 Grati superbis postibus; ardua
 Quâ parte Loyolæ magistri
 Templa micant, niueaque turre.
 Hic, hic, sinistro versus ab angulo
 Pendebit aræ, tessera Romulæ
 Spectanda genti, dum loquentur
 Ausoniæ monumenta chartæ.
 O, qui coruscum, Diue, tenes polum, &
 Sedem negatam motibus anxijs,
 GONZAGA, votiuam tabellam
 Respiçe, quam Palinurus addo.

IN